



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

## ***TRIVANDRENSIS LATINORUM\****

IN INDIA NOVA CONSTITUITUR PROVINCIA  
ECCLESIASTICA TRIVANDRENSIS LATINORUM.

Sacratissimi Cordis Iesu infinitos thesauros magis magisque cupientes aperire christifidelibus, libenter ubique promovemus novam evangelizationem atque conamur etiam Ecclesiae Catholicae structuras ad hunc finem aptare. Cum vero in territorio provinciae ecclesiasticae Verapolitanae catholica fides floruisse, oportunum visum est novam ibi metropolitanam sedem erigere. Quapropter, auditu consilio quorum interest, suffragante Venerabili Fratre Petro López Quintana, Archiepiscopo titulo Acropolitano et in India Apostolico Nuntio, a metropolitana Sede Verapolitana nunc seiungimus dioeceses Alleppeyensem, Neyyattinkaraensem, Punalurensem, Quilonensem et Trivandrensem Latinorum, atque summa Nostra apostolica potestate ex iis novam ecclesiasticam Provinciam *Trivandrensem Latinorum* constituimus, cuius sedes princeps erit deinceps, his litteris constituta, archidioecesis Trivandrensis Latinorum, cui reliquae dioeceses ut suffraganeae sedes subiciunturo Praeterea Venerabilem Fratrem Mariam Callistum Soosa Pakiam, hactenus Episcopum Trivandrensem Latinorum, ad gradum et dignitatem Archiepiscopi Metropolitae promovemus. Haec autem quae praescripsimus exsequenda committimus Venerabili Fratri Petro López Quintana, quem supra memoravimus, universas necessarias et oportunas ei tribuentes facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto quam primum ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplum actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Iunii, anno Domini bismillesimo quarto,  
Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.10, pp.621-622

© Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana